



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Paulo, gladium, ad Ecclesiæ jura tuenda datum, eripere nituntur. Fit ergo, ut ejusmodi turbatores, audiant dicta, Jos. 7. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Gravis erat multis solus aspectus clavium, fiat ergo, ut Ecclesiæ sublatæ, non inveniantur, etiam cum quærentur. Oderant sacras Concioniones, audiant hæreticas, Paganasque blasphemias: fugiebant frequentiam Sacramentorum, arefcet anima, sine usu illorum. Execrabantur monitiones, decreta, minus Prælatorum, sentiant servitutem Barbarorum. Tollantur de medio populi DEi, qui tollere claves Petri nitebantur de Ecclesia, rescindantur per bella, aliosque infaustos eventus à fidelibus, qui voluerunt ferre fulgorem gladii per Ecclesiam micantis cum fidelibus: ut sicut ait Chryf. in Psal. 3. *Vnde est fons peccati, inde procedat, plaga supplicii.*



MODUS XXX.

PER Protopopæiam, vel quasi Protopopæiam, quando scilicet Orator, inducit in Oratione, aliam à se personam loquentem, & quid illa dicat, non in quo, ipsi audiri velit, refert: explicando interea, illa aliena dicta, probando, amplificando. Possunt autem induci, ratione gravitatis debitæ, servata, non solum res animatæ, sed & inanimatæ, ut cælum, sol, elementa, & his paria: quemadmodum fecit D. Aug. in soliloquiis, inquirens Deum, & inducens

gens

ens creaturas respondentes: *Ipsē fecit nos, & non ipsi nos.* Hic modus dicendi, potissimum convenit, si sermo habeatur de rebus dubiis, difficilibus, admirandis, E. g. si de Immaculata conceptione locuturus, dicat. Nolle se, in materia non definita, definire; sed rogare ab Auditoribus, ut auscultent de ea re loquentes, Prophetas, Patres, admirandas historias, quibus per Prosopopæiam sermo esset dandus similiter, si de sanctissima Trinitate dicturus, asserat, mysterium id sibi esse inexplicabile. Audirent igitur potius, de ea re, gravissimas Athanasii, Augustini, Nazianzeni, sententias: quas illæ personæ edicentes, citari deberent.

P R A X I S.

Dominica III. post Pascha.

Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.

Accessus & Propositio. Modico Evangelii, modicum vitæ nostræ designari, plurimi cum D. Augustino 101. in Joan. id affirmante, consentiunt: sed modicum vitæ, esse verè modicum; nimis quam pauci sibi persuadent: atque ideo, diuturnitate & gravitate laborum territi, illud Hebræorum Esa. 28. v. 13. submurmurant. *Expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, modicum ibi, modicum ibi*; fitque quod subdit propheta, *ut cadant retrorsum, & illaqueentur & capiantur.* O quis mihi det, ut hoc modicum, esse modicum hodie persuadeam! Non assumo audaciam: verum rogo, ut mecum pariter gravissimos, ac sapientissimos viros, id suadentes audiatis.

Confirmatio per inductionem testium,
propositum suadentium.

Atque primum audire mihi videor D. Præfullem Hipponensem loco citato sic concludentem. *Modicum est, hoc totum spatium, quo præsens pervolat seculum, quod ut intelligamus, mox subdit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc sentiemus, quam modicum fuerit.* Hem nostros errores, qui tempus, non ex eo, quod egimus, mensuramus; sed ex eo, quod speramus; aut potius fingimus: cum tamen, quod non egimus, nullo modo nostræ mensuræ sublit, quod gessimus mensurari possit. Numera ergo triginta, quadraginta, aut sexaginta annos, quos gessisti, & dic quantum de illis tibi hodie restet. Certe nisi falsum ames; & si Jacobi ætatem attigeris, dices. *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt, parvi, & mali.* Genes. 47. Nihil ex illis restat, nisi unum momentum; cui, an aliud successurum, ignoras; sed etsi succedant millia, cum finita fuerint, tunc senties, quam modicum fuerit: tunc apud te frustra requires, ubi illi familiares? ubi illa gaudia, ubi illa juvenus? ubi illæ voluptates? Transierunt sicut umbræ, & nullum sensum, nisi minutissimi modici, reliquerunt. Unde prædictus doctor rursus in Psal. 36. *Recole annos ab Adam usq³, ad hodiernum diem. Percurre scripturas: heri penè, Adam ille, de Paradiso lapsus est. Ubi sunt præterita tempora? Sic pauca utiq³, quæ restant transibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est, in hodiernam diem: certè videres*

deres

deres vitam tuam, non fuisse diurnam, quae sic evolas-
 set. Pſal 36. *Cum perierint peccatores, videbis.* Quid
 vero illud est, quod tunc videri possit, postquam
 peccator, justissimis sepulchri absorbetur tenebris?
 Job. 20. *Quod laus impiorum brevis sit, & gaudium
 hypocrite ad instar puncti.* Nam quasi sterquilinum
 in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, *ubi est?*
 Gen. 3. Adam interrogatus à Deo, ubi es? respon-
 dit, *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eo
 quod nudus essem, & abscondi me.* Tum primùm A-
 dam, perfectè se miserum agnovit, cum quærere-
 tur, ubi es? tunc & homines, miseriam, & instabi-
 litatem, ac brevitatem suam agnoscunt, si à se requi-
 rant, ubi es? post tot scilicet annos, & post tot de-
 cades annorum. Ah infelix! si non prius hanc in-
 terrogationem ordiaris, nisi posteaquam, ipsa mors
 aut infernus à te requisierit. Ubi es? Certe si A-
 dam in Paradiso extimuit ad hanc vocem, gravius te
 necesse est expavescas: sed non te abscondes. Igi-
 tur nunc à te require, ubi sis? ubi sit pueritia, in ju-
 ventute, ubi juvenus in virili ætate, ubi virilis ætas
 in senectute; & videbis quod à D. Augustino doce-
 ris, quia, *hoc modicum, longum nobis videtur, quia
 adhuc agitur, cùm finitum fuerit, tunc sentiemus,
 quam modicum fuerit.*

Validiore tamen, insuper ratione, hoc modi-
 cum, esse verè modicum, videtur perluadere. Pro-
 pheta Aggæus cap. 2. v. 11. sic nos in persona Dei
 alloquens. *Adhuc unicum modicum est, & ego
 commovebo calum & terram & mare & aridans.*
 Quibus verbis innuit, transitorium mox tempus,

quod ducimus, & successurum aliud tempus, in quo, jurante Angelo, Apoc. 10. *Tempus amplius non erit: sed successura est tempori, immensa nulloque unquam terminata fine, Æternitas: cui quantumvis temporis, comparetur, modicum. & iterum iterumque modicum est.* Scribit de S. Galgano, Philip. *Ferra.* in Catal. 88. Illum, post annum, in obsequio divino perfectè exactum, vocem è cælo audivisse, se ad præmium continuo percipiendum, vocantem. *Satis est quod laborasti: metes nunc, quod feminasti.* Multi credo forent, qui annuo obsequio cælum obtinere vellent; sed reverâ, quantumcunque illud longum videatur, nec annum est, sed nimis quam modicum, æternitati comparatum. Quid appendis cum *infinito* in clamat Aug. Psal. 36. *quantumcunq; finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, & millia millium, qua finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* O quàm profunde stylo ferreo, ad intelligendum id, imprimenda cordi essent Seraphici verba Francisci. *Modica voluptas, pæna immensa: modicus labor, gloria æterna: multorum electio, omnium retributio.* Quid agitis peccatores, dum mundum sectamini? *modica voluptas pæna immensa.* Quid metuitis pii, dum susceptos pro DEO labores deferitis? *Modicus labor, gloria æterna.* Utrouque modicum est, si æternitati comparetur, & utrumque eum animum in Christiano exigit, quo respondit, gloriosissimus Martyr, Thomas Morus, consorti suæ, ut in suorum solatium, Regi voluntati, quanquam improbæ, assentiretur persuaderet.

suadenti, posteaquam enim, sciscitatus ab illa fuisset; Quamdiu tandem illis solatiis uti liceret, quæ illa promitteret? & uxor respondisset: Facile crediderim 20. aut 30. annis, exclamavit: Vis ergo me ita stultum, ut annos 20. aut 30. æternitati immensæ præferam! Non emo tantùm tantillo; nec perdo. Hoc diu noctuque Christiani nobis proponamus, & intelligemus, quam verè Hieron. in proem. cap. 8. Ezech. dicat. *Nihil longum, quod finem habet, & æternitate excipitur.*



MODUS XXXI.

Per suspensionem, vel quasi suspensionem, quando scilicet Orator, ita de aliquo, tanquam principaliter intento, se acturum proponit: quod prius de alio, tanquam minus principali agere velit, cum tamen in priori potius, vis orationis consistat, quàm in posteriori: etsi posterius, tanquam præcipuum Auditor expectet E. g. si Dominica 2. Pentecostes dicturus, hoc modo proponat, Invitaturus vos ad magnum convivium prodii, sed antequam id faciam, suadebo imprimis, ne ab hac invitatione vos excusetis atque sic, primum rationes excusantium, à cæna magna rejiceret; tum verò, ad invitationem descenderet: similiter si Dominica 8. quæ est de peccatoribus appropinquantibus, diceret: se velle, peccatores Christo præsentare, quod antequam fiat; instructurum, quales